

piatur ad certum terminum pena sacramenti quod solvat debitum persone petenti, et debitor cadat ad penam octo frx. in comuni occasione hanni supradicti spreti. ¶ Si vero debitor non solverit debitum creditori ad terminum sibi per dominium datum, spernens preceptum pena sacramenti, tunc per dominium Tergesti precipiatur debitori quod solvat ad certum terminum creditori // debitum predictum, sub pena unius grossi pro qualibet libra parvorum. ¶ Preterea si recusaverit solvere debitum predictum spernens dictum preceptum grossi pro libra, tunc locatis terminis, quindecim dierum, si fuerit debitum a centum libr. inferius, unius mensis si fuerit a centum libr. par. superius, et ipsis terminis seu termino elapsis et iuribus utriusque partis visis, detur et concedatur per dominium Tergesti petenti intromissio bonorum ipsius debitoris usque ad solutionem totius eius quod habere debuerit legitime et expensarum; et debitor spreto precepto unius grossi pro libra cadat ad dictam penam unius grossi pro libra in comuni, et a viginti sold. inferius similiter unum grossum solvere teneatur. ¶ Et per dominium Tergesti, quando dicta intromissio concedetur, detur sacramentum creditori petenti, si dictum debitum legitime petit et habere debet, vel si de ipso in aliquo est sibi solutum vel satisfactum. ¶ Insuper volumus quod bona debitoris contenti in aliquo precepto sint creditori obligata. ¶ Item volumus quod per dominium Tergesti detur sacramentum actori petenti aliquod debitum contentum instrumento precepto vel scriptura ex aliqua causa, si tale debitum fuit contractum pro causa expressa in tali instrumento precepto vel scriptura, et si ipsa causa fuit vera prout exprimitur, et hoc ad petitionem rei petentis tale sacramentum dari. //

223 B

[Cap. XLVI.] Rubrica de ponentibus ad extimariam comunis. R.ca.

Ordinamus quod, si qua persona solvere debens alicui aliquam quantitatem denariorum vel alterius rei, contentorum in aliquo instrumento precepto vel alia scriptura, sponte